

Sophoclem tractent, omnino cognita habeant, quae ab recentioribus interpretibus ad Sophoclem atque Euripidem adnotata sunt. Vnde quum ipsi sibi auxilium petere possint, non putabam eadem ubique recoquenda esse. Praeterea, ubi quid adnotandum sit, ita maxime videas, si interpretationes aliorum consideres. Quare non mirum, ad eos potissimum locos aliquid monendum fuisse, in quibus alii aberrasse a vero viderentur. Reperient autem lectores hic illic aliquid ex eo genere adnotatum, ad quod plerique minus, quam par est, attendere solent, ordinem dico et collocationem verborum, quam vehementer errant qui solo metro apud poetas regi existimant. Sensus enim et consilium, quo quidque dicitur, quae recta et apta sit verborum collocatio, monstrare debet: poetae boni illud est, ea eligere verba, quae sic, uti debent, ordinari sine metri detrimento possint.

De universa fabulae compositione, singularumque partium inventionem et tractationem disputare, alienum videbatur ab huius editionis instituto. Sed hoc qui facient, non negligent cum Sophoclis fabula Ae-